

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Amicitia bq  
cum fonte primo

Post amicitiam credendum est,  
ante iudicandum. Illi uero  
prepostere officia permiscent qui

cum amauerint iudicant, et non amant  
cum iudicauerint. Diu cogita an tibi  
in amicitiam aliquis recipiendus sit.  
Cum placuerit fieri, toto illum pectore  
admitte; tam audacter cum illo loquere  
quam tecum.

Cum amico omnes curas,  
omnes cogitationes tuas misce;  
fidelem si putaueris facies.

Seneca III. epistola.

Tu vero omnia cum amico delibera,  
sed de ipso prius:  
post amicitiam credendum est,  
ante amicitiam iudicandum. Isti vero  
praepostero officia permiscent qui,  
contra praecepta Theophrasti,  
cum amaverunt iudicant, et non amant  
cum iudicauerunt. Diu cogita an tibi  
in amicitiam aliquis recipiendus sit.  
Cum placuerit fieri, toto illum pectore  
admitte; tam audaciter cum illo loquere  
quam tecum.

Tu quidem ita vive ut nihil tibi  
committas nisi quod committere etiam  
inimico tuo possis; sed quia interveniunt  
quaedam quae consuetudo fecit arcana,  
cum amico omnes curas,  
omnes cogitationes tuas misce.  
Fidelem si putaveris, facies;  
nam quidam fallere docuerunt  
dum timent falli, et illi ius peccandi  
susplicando fecerunt.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium*  
*epistulae morales*, 3.2-3 (L. Reynolds  
ed., vol.1, p.4, ll.11-23).